



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt CXIX. Solenni Ritv Ministrantes criminis expertes sint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

CAPVT CXIX.

SOLENNI RITU MINISTRAN-
tes criminis expertes sint.

§. **D**iaconi & Subdiaconi solenni ritu sacrificanti Sacerdoti ministrantes mortifero vacui sint crimine, & si Confessarij non fuerit copia minimum toto corde admissa peccata propter Deum offensum detestentur, & firmum sacram Confessionem maturandi consilium suscipiant. *Diaconi*, inquit Apostolus 1. Timoth. 3. v. 9. 10. *habeant mysterium fidei in conscientia pura & sic ministrent nullum crimen habentes.* Isa. 11. vers. cap. 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Sicut lethali peccato alligati sine animæ peste & interitu illum accipere ordinem non potuerunt, ita neque administrare. Ac proinde illis peculiaris consecratio concessa, ut piè sancteque munia sua perficiant. *S. Ambrosius lib. 1. Offic. c. 50. Appellatur Leuita, ait, ipse meus, vel ipse pro me. Magnum ergo munus eius, ut de eo Dominus dicat, ipse meus. Et quomodo Domini Dei est, qui ob peccatum ipsius hostis est?*

§. Illustri hoc miraculo Eucharistiæ impuri Diaconi manum effugientis confirmat *D. Gregorius Turonicus lib. 1. de gloria Martyrum cap. 86. Dessemus, ait, scelera nostra & plangimus, cum nos mundos esse nescimus, & ad ipsum altare Domini accedentes, audenter sanctum corpus, & sanguinem, cum simus actu polluti, potius ad iudicium sumimus, quam ut veniam consequamur. Nam recolo quod in adolescentia meo gestum audiui. Dies passionis erat Polycarpi martyris magni & in Ricomagensi vico ciuitatis Aruernæ eius sollemnia celebrabatur. Lecta igitur passione cum reliquis lectionibus, quas canon sacerdotalis inuexit, tempus ad sacrificium offerendum aduenit,*

Turricula
Eucharistia
conditorum

nit, acceptaq; turre Diaconus in qua ministerium Domini
corporis habebatur, ferre cepit ad ostium ingressusq; templum,
vt eam altari superponeret, elapsa de manu eius ferebatur in ae-
re, & sic ad ipsam aram accedens, nunquam eam manus
Diaconi potuit adsequi: quod non alia credimus actum de cau-
sa, nisi quia pollutus erat in conscientia. Sapius enim ab eodem
adulteria ferebantur admissa. Vni tantum Presbytero & tri-
bus mulieribus ex quibus vna mater mea erat, hæc videre lici-
tum fuit, ceteri non viderunt. Aderam fateor & ego tunc tem-
poris huic festiuitati, sed hæc videre non merui.

§. S. Gregor. Nazianz. Apolog. i. causam exponit
cur sacerdoti susceptionem distulerit, nimirum quod
summa ad id opus sit Sanctitate, & sacra indignè tra-
dantes grauissimè puniat Deus. Ac ne me forte, ait, ti-
midiores, quàm par sit, existimetis, sed consilium potius no-
strum prudentiamq; comprobetis, vnde in hunc metum indu-
ctus fuerim, exponam: Primum ex ipso Mose audio. Exod. 9.
v. 10. & seqq. quo tempore illi Deus oracula edebat, quamuis
multi ad montem acciti aduocatiq; fuissent, inter quos Aaron
etiam erat, duobus filiis, iisq; Sacerdotibus, comitatus, & Sep-
tuaginta Seniores ac Senatores, ceteros tamen omnes eminus
adorare iussus esse, Mosén solum propius accessisse, plebem verò
ne simul quidem ascendisse: tanquam videlicet non cuiusuis es-

Non cuius
ad Deum
pater acces-
sus.

set Deo propius iungi, sed eorum duntaxat, qui Dei gloriam,
Mosis instar, concipere possent. Ac superius etiam, cum legum
fundamenta iacerentur, Exod. 19. v. 12. 16. Hebr. 12. v. 18.
alios quidem buccina, & fulgura & tonitrua, & caligo, totusq;
mons fumo circumfusus, & horrenda comminationes (Etiam
si bestia montem citigerit, lapidibus obruetur) atq; alii huius-
modi terrores inferiori loco cohibebant, adeò vt præclare secum

Ex mla
memorabi-
lia diuina
vitiis ad-
uersus inia-
gras Sacer-
dotes & Le-
adole-
uitas.

agi arbitrantur, quòd vel solam Dei vocem audirent, idq; hæc
lege, vt seipos ante summa cura diligentiaq; purgarent: at Mo-
ses ascendit, nubemq; perrumpit, legesq; & tabulas accipit, cras-
sioribus quidem literales, acutioribus autem spirituales. Illud
etiam audio Nadab & Abiud, quod nouo duntaxat igne thura

T

adoleuissent, nouo quoque igne absumptos, atque iisdem instrumentis, quibus impium facinus perpetrarant, excruciatos fuisse, atque eodem tempore & loco, quo nefario crimine sese deuinxerant, periisse, ac ne patrem quidem Aaronem primas apud Deum secundum Moysen tenentem ipsos à periculo vindicare potuisse. **Leuit. 10. v. 1. 2. 1. Paral. 24. v. 2.** Tum etiam id quod Heli Sacerdoti, **1. Reg. 4. v. 18.** atque aliquanto post **Oza 2. Reg. 6. v. 6. 7.** accidit, compertum habeo: quorum alter sceleris etiam illius, quod aduersus sacrificia filii committebant, carniū primitias ex ollis, priusquam fas esset, extrahentes, pœnas luit, idque cum eorum impietati non modo non suffragaretur, sed et grauissimis quoque verbis eos hoc nomine identidem obiurgaret: alter quia arcam à boue distractam tantummodo atrectare ausus fuerat, ita eam illam seruauit, ut sibi interim exitium accerferet, Deo nimirum hoc animaduersionis exemplo arcæ suæ uenerationem sanctam relictam tuente. **Quin hoc quoque mihi cognitum est, ne corporum quidem labe in Sacerdotibus aut sacrificiis à censura immunes extitisse, Leuit. 21. v. 17.** verum in more positum fuisse, ut perfecta perfecti offerrent, ad significandam, nisi fallor, animi integritatem, **Exod. 29. v. 30.** nec cuius sacerdotalem vestem, aut supellectilem ullam sanctam attingere licuisse, nec sacrificia ipsa à quibus & quo tempore ac loco minime conueniebat, absumi consueuisse, nec unctiois oleum compositionisque suffutum **Exod. 30. v. 35.** imitari, ac denique templum adire cuiquam liberum fuisse, nisi & animo & corpore vel ad leuissimam usque sese purgasset: tantum aberat, ut ad Sancta Sanctorum accedere auderet, quæ vni duntaxat, semelque, quotannis adrelicebat: tantum aberat, ut cuiusuis esset velum aut propitiatorium aut arcam aut Cherubinos vel prospicere vel attingere. **Hæc igitur cum perspecta haberem, illudque insuper, neminem magno & Deo & sacrificio & Pontifice dignum esse, nisi qui prius se ipsum Deo hostiam uiuentem & sanctam exhibuerit, rationalemque cultum gratum atque acceptum ostenderet, Rom. 12. v. 1.** Deoque sacrificium laudis, **Psal. 49. v. 14. 23.** spiritumque afflictum atque contritum **Psal. 50. v. 19.** obtulerit (quod vnum ille sacri-

sacrificium pro omnib. suis erga nos beneficiis à nobis efflagitat) quo tandem modo externum illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum exemplar presidenti animo ipsi offerrem, aut quo modo Sacerdotis habitum nomenq. subirem, priusquam manus ^{Missæ sacrificium qua} piis actionibus consecrassem, priusquam creaturis sanè atq. ad ^{sanctitate} creatoris solum admirationem, non autem ad detrimentum aspiciendis oculum assueficessem, priusquam disciplina Domini aures satis aperuissem? &c.

CAP. CXX.

MORTIFERO SCELERE ALLIGATI
 & vel Sacramenta ministraturi, vel concionem habituri, vel Canonicum pensum absoluturi contritionem excitare conentur.

§. EAndem peccatorum detestationem & contritionem in se excitent vel Sacramenta ministraturi, vel statas ac Canonicas preces pro se ac tota Ecclesia persoluturi, aut etiam concionem habituri, qui aliquo se scelere obstrinxerint. Nam vt est Psalm. 49. v. 26. Peccatori dixit Deus. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum. Tu vero odisti disciplinam, proiecisti sermones meos retrorsum, &c. Et Isa. 1. vers. 15. Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestrae sanguine plena sunt, hoc est, grauibus peccatis contaminatae. Hinc & David in Psal. 65. v. 18. Iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus. Siquidem, vt ait Eccl. cap. 15. v. 9. Non est speciosa laus in ore peccatoris. Imo vt est Prou. 28. v. 9. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. §. Gregor. l. 9. epistola 45. Inanis, inquit, sit oratio, vbi praua est actio. In cuius nimirum prauæ actionis affectu homo perseverat; nam si peccatum detestans toto ad Deum animo conuertitur, vt David, Manasses, Publicanus, latro, exauditur.